

SVPREMIS HONORIBVS  
VIRVM  
DOCTISSIMVM, AMPLISSIMVM,  
PRAECLARISSIMVMQVE  
DOMINVM  
SAMVELEM FRIDERICVM  
BVCHERVVM

CONRECTOREM GYMNASII ZITTAVIENSIS

37. ANNOS OPTIME PROMERITVM,

DIE 12. MAII 1765. REBVS HVMANIS EXEMTVM

PVBLYCO TOTIVS COLLEGII NOMINE

PROSEQVITVR

M. CHRISTIANVS FRVEHAVFF

GYMN. SVBRECT.

---

ZITTAVIAE,  
LITTERIS VIDVAE STREMELIAE.



## Cic. in Catone Cap. IX.

Anne quidem vires senectuti relinquemus, ut adolescentulos doceat, infituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere, quid potest esse praeclarior? -- Nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires, atque defecerint.

**D**efunctus est tandem laboribus suis scholasticis, id est, operosis iis quidem, et catenatis, sed ad rem faciendam minime accommodatis, minimeque quaestuosis, istis, inquam, laboribus plane iam est perfunctus *uir Praeclarissimus atque Amplissimus Samuel Fridericus Bucherus*, Conrector de gymnasio nostro, per longam annorum feriem, bene meritus.

Quoniam enim iniucundum non est docere adolescentes, eorumque animos ad probitatem et elegantiam morum instruere; in primis si magistris liberalium artium praemia proposita sint non illiberalia: existunt tamen aliquando tempora, uti nunc quidem sunt, quibus labores magistrorum difficiles atque molesti redduntur. Nam libidinosa ac delicata iuventus, cum nunquam non aegre se patiat in gyrum rationis reduci: tum funestissimum ac diuturnum bellum animos adolescentum ita reddidit feroces, ut omnis disciplinae impatientes esse videantur. Hinc fit, ut uix ullo, alio tempore tam crebris adhortationibus, ii, quorum interest, ad rem scholasticam instaurandam, undique incitentur, ac, tanquam classico, ad opem ferendam conuocentur, quam hoc ipso. Vident nempe, qui ad meridianam lucem non sponte sua conuiuent, quantum sit pretium operae, quae in iuuentutem formandam impenditur. Viderunt idem prudentissimi quique, qui nullo maiori beneficio se reipublicum efficere posse putarunt, quam constituendis scholis. Viderunt nostri maiores, qui fronti gymnasii nostri, literis ita magnis inscripserunt, ut omnem fere superiorem marginem occupent aedificii, quod cum ad habitandum, tum ad iuuentutem erudiendam, opportuno sane loco constitutum est, haec Tullii verba: *Nullum munus reipublicae afferre maius meliusue possumus, quam si doceamus atque erudiamus iuuentutem, iis praesertim moribus ac temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit.*

Verum uti nonnunquam usu venire solet, ut orto incendio plures concurrant ad spectandum, quam qui adhibeant manus ad ferendam opem, ignemque, ne latius serpat, cohibendum atque restinguendum: sic multi quidem sunt, qui scholas prolapas, consensant statuanteque restituendas; pauci contra qui manus adferant salutare. Scite admodum sensit, qui multos esse dixit Christianos, paucos Christi imitatores: Ita multi commiserantur fortunam scholarum, pauci suis eas opibus subleuant. Quo fit, ut hodieque comprobetur illud Lacedaemonii cuiusdam dictum: Athenienses scire quae recta essent, sed facere nolle. De *Amplissimo* quidem *Senatu* nostro isdem fere verbis uti mihi licet, quibus Tullius de senatu romano: *Multa uidelicet in isto spectabili collegio praeclara: sed hoc, de quo agimus, in primis, quod, ut quisque celebrior sit doctrina, ita in primis a Patribus istis nostris appetatur, et ad ornandum gymnasium nostrum euocetur. Nouimus, memoria nostra, euocatos, Doctores, Professores, atque alios viros, in Academia docendi munere functos. Nouimus, Wentzelios, Müllereros, Gerlachios. Ipse quoque Bucherus noster munus Professoris in celeberrima Academia Vittenbergenfi tum temporis obibat, cum Zittauiam ad munus Conrectoris arcesceretur. Quam suam spartam ad extremam aetatem pro uirili ornauit.*

Hoc loco libet interponere, magistros, qui superioribus temporibus gymnasio nostro praefecti erant, aetatem longiorem assecutos, quam recentiores. Quibus de causis id acciderit disquirere, alienum est a proposito nostro. Illud est certum uno eodemque tempore uixisse Ziegerum, Ruckerum, Knebelium, grandaeuos senes, ac



plus quam octogenarios. Nam primus horum octoginta quatuor annos natus, reliqui, maiores annis nonaginta decesserunt. Vfus est his collegis ab anno 1728, Ziegler quidem annos septem, reliquis circiter quatuordecim *Bucherus* noster. Hic unus omnium collegarum, tanquam alter Noachus, et cum anno illo collegio, et cum recentioris aetatis uiris conuixit, atque ita conuixit, ut collegium scholasticum amplius bis immutatum et quasi renascens uiderit.

Qui cum senior esset collegii nostri, et fere septuaginta tres annos aetatis, triginta septem officii compleuerit, tamen eorum aetatem assecutus non est. Interea funera uidit septemdecim collegarum suorum. Vltimus fuit M. Gustauus Philippus Hertogius, uir sane cordatus, quem die 10. Aprilis beate defunctum, et 15. eiusdem mensis elatum, supremis honoribus, scriptoque programme profecutus est *Bucherus*, qui tum non praeciderat, unius mensis spatium interesse, quo emenso, ipsi sit sequendum. Proh Deus immortalis! quantillum illud spatii est, quod nobis, qui adhuc fumus superstites, praestitisti ad uiuendum? Decimus octauus hic agitur annus, ex quo *Amplissimus Senatus* me in numerum praeceptorum publicorum adlegit. Interea loci ex Amplissimo isto collegio, ex uerbi diuini Ministris, ex collegis denique scholae, multo plures mortui sunt, quam pro toto omnium illorum numero. Vix uni tantum atque alteri uita uiresque suae adhuc suppetunt: quibus ut porro non uita solum, sed etiam omnes res prosperae quam diutissime suppetant, Deus Optimus Maximus uelit iubeatque. Interea ipse ego quoque, post excessum b. *Bucheri*, eo prouectus sum, (nam hic ipse undecimus est, quem effero) ut Senior sim totius collegii nostri; itaque magis in dies magisque intelligo recte dixisse, qui nihil esse dixit tam breue, quam uitam hominis quamuis longissimam. Summe Reuerendus uir I. P. Sufzlmich scite admodum obseruauit, et rationibus satis euentibus in liquidum perduxit, quotannis, fere quadragesimum quemque mortalium in agris; in urbibus uero masculis, fere uicissimum quintum decedere; atque adeo ex incolis omnibus alicuius prouinciae, quouis anno circiter tricesimam, aut tricesimam secundam partem hominum uitam cum morte commutare. Docuit etiam idem uir de ciuitate sacra non minus quam literaria bene meritis iisdem his legibus obnoxios esse Württembergicos, quibus Borussia, quamuis centum et quinquaginta miliaria a se inuicem distitos. An putemus Saxones nostros, medios fere inter utroque, ab hac necessitate esse exemptos? An Lusitanos nostros, an Zircuonenses meos ab eadem immunes putemus? Imo uero funestissimum bellum, incendia, aliaque calamitates innumerae optimam patriam nostram: (nam ista mihi dudum iam patria est) ciuibus suis tantum non plane exhaurerunt, alios ad incitas redegerunt, aliorum uires corporis animique attriuerunt, atque, ut omnino citius solito et frequentiores ex hac uita emigraturi sint, effecerunt, eosque morti maturarunt.

Itaque gratulari sibi potuit *Bucherus* noster, quod eadem, cum aliis multis tristitia perpeffus, aetatem suam ad senectutem satis seram perduxerit. Certe gratulatus etiam est de tanto Dei in se beneficio ea ipsa hebdomade, qua postea morbo est implicatus. Tum solebat praeterea gloriari, se non nihil contulisse, ad eruditionem et uirtutem eorum, quorum plerique honoribus publicis dudum fungerentur. Est enim id quidem senile. Fortassis etiam id iure quodam suo se facere posse putauit, ut quemadmodum, qui conseruisset uineam, aut hortum plantasset, aut coluisset agros, se lactaret, aliqua sua opera fructas esse uberiores atque laetiores; ita ipse quoque praedicaret, sua aliqua diligentia ac solertia esse factum, ut qui tum iuuenes erant in spem patriae nati, iam uiri essent reipublicae peritiles. Tala subinde confidentius reminiscendo memorandoque, suaque sedulo faciendo, satis placidam egit senectutem. Nam etiam ista Conectoris statio per se est satis quieta, nisi quis ipse iniquo sit animo. Neque omnino non tantum iniucundum est, esse stipatum studiis iuuentutis, sed oppido pergratum; eum inde haud per ambages cognofcas, quae aliquando sit futura ciuitas. Est enim non solum iudices Leibnitio, sed omnibus etiam uiris prudentibus, tempus praesens grauidum futuro; et iuuenes ipsi mature admodum portendunt, quos uiros aliquando habitura sit reipublica. At, inquis, defunt in senectute illae uires, quae sunt in iuuentute. At ne postulantur quidem, compensaturque ille iuuenilis uigor abunde grauitate, prudentia, atque consilio: alioquin nec magistratus gerere possent,



nisi iuvenes; nec duces esse, nisi qui quam firmissimis sunt lacertis. Qui in uernante aetate habilem se fecit munis obeundis, is senex tantum abest ut sibi ipse sit defuturus, ut potius longo rerum usu futurus sit habilior. *Bucherus* quidem noster, non potuit non bene collocasse tempus, qui ita fuit instructus omni apparatu elegantioris literaturae, antiquitatum in primis, et linguarum orientalium, ut in hoc genere literarum fuerit instar ambulantis uel uiuae potius bibliothecae; qui libros conscripserit, atque in lucem ediderit, ad hoc genus literaturae pertinentes. Nam si quis in iuuentute sua ita seinentem fecerit, quin ille, ubi conseruerit, messem laetissimam sit habiturus, dubitari non potest.

Sunt tamen haud pauca, quae, per omnem aetatem parentibus accepta referre debemus: non quod credam, fortes semper creari fortibus et bonis; quanquam hoc quoque in passa fautricem naturam, uel Deum potius fautorem naetus est *Bucherus* noster, quippe qui utroque parente satus sit claro, altero sacerdote Rengersdorffensi, altera filia sacerdotis primarii Stolpensis; sed quia in educatione proba cado felicitatis nostrae uersari uidetur. Multa hic tribuenda sunt exemplis probis, multa institutioni, multa prudentiae parentum. Nam si parentes ignorent, quid ad salutem liberorum conducatur, aut si ipsi auersentur probos mores, si sint ofores literarum bonarum, quo pacto tandem fieri posse censeas, ut liberi sint meliores? quin plerumque ita euenire solet, ut malorum coruorum mala fuit oia. Liberi contra parentum proborum, nisi plane degeneres sint nati, plerumque solent esse probi. Qua ex re etiam factum est, ut tum optima institutione esset usus, familiaritas eius non esset insuauis, sed condita leporibus. Nonnunquam sermones deflexit a iocis ad seria; cuiusmodi illud esse potest: Cum in supplicationibus publicis de felicitandis metalli fodinis, de salute huius uitae, de ecclesiae eiusque antistitum diuina gubernatione tam frequens fiat mentio; eccur scholarum atque academiaram, eorumque, qui iis praesunt, tam parca? Ideone id fiat, quod credamus, ad omnia alia, diuina ope opus esse; scholas uero, earumque doctores suis se uiribus sustentare: an quod ista nobis ita sint neglecta, ut existimemus nos operae pretium non facturos, si florem, felicitatem, salutem eorumdem multis precibus efflagitemus? Eccur, cuiusue opera, in catione illa, quam Litaniam dicimus, scholae a statu ecclesiastico seiunctae, et politico adscriptae sint, et quae sunt eiusmodi alia. Sic se gerendo effecit, ut et uita eius esset suauis, et mors acerba. Acerba collegis, mihi que in primis, amicitia eius quam diutissime ufo; acerba maxime uiduae moestissimae; acerba filio unico, Domino *Christiano Friderico Buchero*, Amplissimi Senatus Dresdensis iudicii Actuario; acerba lectissimae illius coniugi, nepotibusque; acerba charissimis fratribus, atque omnibus aliquo adfinitatis atque amicitiae iure coniunctis. Quorum omnium dolores, ut Deus optimus maximus leniat, iisque medeatur, est quod ex animo precor.




HC



... mit solcher Heftig-  
... und mehr ab, daß  
... der Pflege ohngachtet,  
... von Patienten das Le-  
... den 12. May, Abends

Abendmahl und gesch-  
schmerzlich vergoßen

... hfeelig verforbenen  
... bten Hinterlasenen,  
... chter, Enckeln und  
... vornehmen Anver-  
... e gereichen. Der Lei-  
... dopheten Daniel, XII,  
... me 2c. und die verfer-  
Stündlein 2c.



SVPREMIS HONORIBVS  
VIRVM  
DOCTISSIMVM, AMPLISSIMVM,  
PRAECLARISSIMVMQVE  
DOMINVM  
SAMVELEM FRIDERICVM  
BVCHERVM

CONRECTOREM GYMNASII ZITTAVIENSIS  
37. ANNOS OPTIME PROMERITVM,  
DIE 12. MAII 1765. REEVS HVMANIS EXEMTVM  
PVBLICO TOTIVS COLLEGII NOMINE

PROSEQVITVR  
M. CHRISTIANVS FRVEHAVFF  
GYMN. SVBRECT.

ZITTAVIAE,  
LITTERIS VIDVAE STREMELIAE.

